

1846

152



DT. 2. 8° 1846 / 152

DE
MENSTRUATIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITTERARIA TURICENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE
OBSTETRICA

HONORIBUS RITE CAPESSENDIS

DIE XXIX. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCXLVI.

PUBLICAE DEFENSURUS EST

IOA. CASP. DIENER,

FISCHENTHALENSI - TURICENSIS.



TURICI.

TYPIS CAROLI KOEHLERI.

MDCCCXLVI.


1110/12

DISSENT AND REFORMATION

THE HISTORY OF THE

REFORMATION IN SWITZERLAND

BY JOHN CALVIN



PATRI CARISSIMO

JOANNI HENRICO DIENER,

MED. PRACT.

AC

FRATRI DILECTISSIMO

JOANNI HENRICO DIENER,

MED. DR.

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PATRI CARISIMO

JOSEPH HENRIQUEZ

MED. PRAC.

PATRI DILECTISSIMO

JOSEPH HENRIQUEZ

MED. DR.

HABER ESTABLISHED

ESTABLISHED

HABER ESTABLISHED

ESTABLISHED

CAP. I.

De menstruatione in universum.

§. 1.

Menstruationem dicimus congestionem ad organa feminae sexualia periodicam, quae fit quarta quaque septimana et cum partu vesiculae Graafianae maturae conjuncta est, non sine profusione sanguinis plus minusve copiosa. Quae quum omnino pubertatis signum sit in organismo muliebri, apud nostrates quidem circa decimum quartum vel decimum sextum annum incipit, ac finitur anno aetatis quadragesimo quinto vel quinquagesimo. Quo tempore primum apparet, symptomatis et localibus et universalibus indicatur. Quorum posteriora inprimis systematis nervorum ac sanguinis vim vitalem auctam esse ostendunt; major hunc est receptibilitas, varii sensus dolentes, animi tristitia, affectus, spastici etc. locum habent; mutato sono plenior evadit vox. Locales quasi menstruationis nuntii ac comites irritationem nervorum vasorumque ipsius uteri atque organorum proximorum haud dubiam reddunt; intumescunt uteri quum parietes tum portio vaginalis; altius in pelvim demittitur uterus, rima uteri transversa efficitur rotunda; praeterea oppressio est et tensio in pelvi, ac coeundi studio flugrat mulier. Qui

ante confectam maturitatem sexualem veluti seclusus undique in interiore parte organismi erat uterus, tunc organum evadit vividum suaeque ipsa sponte agens, ac veluti medius quidam totius systematis sexualis locus, (quem centrum vulgo vocant,) cum ceteris formis genitalibus mutuam quandam init rationem.

§. 2.

Causas quod attinet menstruationis, praeteritis praesertim temporibus variae ea de re sententiae sunt prolatae; in quibus quae maxime vulgata erat, haec est: Sanguinem supervacaneum, qui posthac alendo foetui inseruiat, menstruatione illa e corpore femineo removeri; plethoram igitur ejus causam esse. Quae quidem res haud ficta esse videtur. Plethora partim universalis — sine dubio nimia corpusculorum sanguinis copia — partim quae in ipsis ovariis veniunt evolutionem dico ovi, quaeque sanguinis cursum ad organa sexualia propellunt, in causis fuerint.

§. 3.

Profusione sanguinis menstrualis et universalis tollitur plethora, et localis; eadem igitur illius ratio est ac crisis univ. et loc. Utrum venae sint an arteriae, quae sanguinem effundant, adhuc sub iudice lis est. Sanguis menstrualis nihil aliud est, quam solutio concentrata pigmenti in sero diluto, sine fibrina, — ac quamvis diu sub divo eum exposueris, minime putrescere contendunt.

§. 4.

Corpus quum aegrotat, fieri potest, ut menstruatio complures subeat conturbationes. Nullus fere gravior est

morbus, quo non ejus conditio normalis immutetur; quare in cujusvis generis morbis inter gravissima symptomata referenda est ac ne unquam, vel in levioribus affectionibus, obliviscatur medicus, qui sit ullius status inquirere.

CAP. II.

De variis menstruationis quae morbis efficiuntur, imitationibus.

§. 1.

Primo loco menstr. omnino abesse potest (Amenorrhoea):

- a) in hypertrophia et atrophia ovariorum;
- b) in pravis vaginae, uteri etc. formationibus, quae quominus sanguis menstrualis rite profluat, impediunt, e. gr. atresia vag., ut. etc. Plerumque huc, antequam impedimentum exstet, sanguis colligitur, quo facto et compressione quadam, et quum irritamenti alieni instar sit, dolores efficit plus minusve graves. Impedimento illo obstruente remoto sanguis plerumque fluens reperitur, sed minime resolutus; (J. P. Frank) et menstruatio, sponte reficitur. Congesto vero sanguini si nullus datur egressus, paulatim usque adeo augeri potest, ut uterum extendat et tubis Fallopianis egeratur in cavum abdominis, aut etiam insolita quadam ratione menstruatio fieri potest.

§. 2.

Menstruationis loco interdum nonnisi liquor exit serosus sive albuminosus, plus minusve rubescens pigmento

soluta. Quae res fere semper locum habet, ubi corpuscula sanguinis in capillaribus paralyticis congesta et nimis pauca sunt, et quodammodo mollia parumque conglutinata, ut vasa perrumpere nequeant, quod est

1) in universali sanguinis serositate, hydraemia, chlorosi, scorbuto etc.;

2) in anaemia universali;

3) quum capillares vel uterus spasmis tenduntur, quumque et corpuscula sanguinis congesta, et crassiores vasorum parietes, quominus illa exeant, prohibent. Quae res satis frequenter fit, ubi ineunte menstruatione uteri vasorumque uterinorum spasmi impressionibus quibusdam effecti existant; tum plethora universalis fere commotis aliis congestionibus et inflammationibus saepe periculosis, aut, id quod bonum faustumque putandum est, factae sanguinis effusione externa tolli conatur. Sic oppresso sanguinis ex utero fluxu sanguinem profluere videbant e palpebris, naribus, ore, auribus, ductibus glandularum salivalium, palato, pulmonibus etc. et quod persaepe dicitur occidere, e papillis mammae, umbilico, organis urinariis, intestino recto, unguibus digitorum, cum sudore, e vulneribus atque ulceribus.

§. 3.

Menstruationem interdum congestionem chronicam, h. e. inflammationem membranae mucosae uterinae, et parenchymatis uterini utatam videmus, ut nil nisi periodica quaedam ejus inflammationis exacerbatio appareat. Quod e. gr. est in fluore albo benigno.

§. 4.

Quantitatis vero varietates in menstruatione si spectamus, haec fere observantur:

1) Menstruatio parcior est (Menstr. parc.), cujus rei causa est, aut quod coeptus sanguinis fluxus spasmo vasorum turbatur, ac non amplius reficitur; aut quod congestio, priusquam ad finem normalem perducat, vertatur, ut ita dicam, in aliud organum translata; aut denique, quum plethora univers. et localis minus perfecta levioze sanguinis amissu tollitur. Non satis definire possumus sanguinis in conditione normali profusi copiam, quam trium unciarum ad octo uncias esse dicunt; minor utique est in terris ad septentrionem versus jacentibus, major in calidioribus regionibus. Puellae quum est juvenilis vigor ac robur, menstruatio trium dumtaxat vel quatuor dierum spatio continetur, ac qui amittitur sanguis vix paucularum est unciarum, quum matronae tricesimum ad trices, quintum annum agentes amplius saepe semilibram amittant. Quae sedentariam degunt vitam multumque cibi adhibent, majorem egerunt copiam quam quae exercentur laboribus ac parciore sunt in cibo.

2) Menstr. abundantior est (M. abundans), igitur metrorrhagiae speciem prae se fert, quod accidere potest, ubi stimulo locali acriore congestio nimis invalescit latiusque patet, aut ut ubi stimulus localis cadit in systema nervorum plus aequo erethicum, qua re gravior efficitur reactio. Idem evenit in laxitate genitalium, nimio coitu, improbis exerci-

tationibus corporis, libidinis sensibus et cogitationibus etc.

§. 5.

Saepe menstr. aerumnosa est atque difficilis, ac non nisi multo cum labore fit profusio sanguinis — Dysmenorrhoea; quod in prima fere menstruatione esse solet. Diversissima saepe ac gravissima congestionis mala et affectiones nervosae eam praecedunt, spasmi, neuralgiae, defectiones animi, maxime in feminis irritabilibus; quae tamen mala, viâ semel menstruationi factâ, evanescent, ac postea, quum statis temporibus revertitur menstr., non amplius apparent. Oriuntur autem hi affectus partim commotione et quasi repentina perturbatione, qua omne nervorum systema confecta congestionem menstruali afficitur, ac speciem quandam febris menstruationis exhibent; partim plethora universali, quae menstruationem antecedere solet. Quae quum omnino multam vim habeat ad excitandas congestiones, saepissime fieri potest ut alius generis congestiones aut inflammationes menstruationem impediant, donec tandem superata menstruationis irritatione congestio menstrualis ad summum quasi fastigium perducat, quo facto perruptio capillarum et egressus earum quae in iis contentae sunt rerum fiat necesse est.

§. 6.

De tempore in universum, de aetate qua primum menstr. apparere solet, praecocem distinguunt menstruationem et tardam. Qua in re tenendum est, organismo de quo agitur perfectione quadam et maturitate evolutionis opus esse, ut menstruatio feliciter absolvatur.

1) In menstruatione praecoci aut omnino organismus solito citius maturatus et excultus est, ita ut menstr. non-

nisi symptoma confectae corporis evolutionis existimanda sit; aut menstr. incidit, reliquo corpore nondum plane exulto (maturitatem adepto). Hoc demum si fit, menstr. morbi signum putandum est. Praepostera autem illa menstruationis species inde originem ducere consuevit, quod contra naturam, nimis mature indulgendo amoribus, fabularum Milesiarum lectione, onania, delicata luxuriosa-que educatione, alimentis excitantibus copiosius sumtis, potionibus spirituosus, quassationibus abdominis etc. maturitas sexualis sive regio genitalium nimis festinatur, ut reliquum corpus perfectiorem illam harum partium arte quaesitam assequi nequeat. Qui omnino mirifice vim vegetativam auget calor, inprimis in causa est multoque maturiorem evolutionem, ac quod inde sequitur, maturius menstruationis initium adjuvat, Zonae calidae mulieres vix adolescentiam egressae menses habent, puellae urbium incolae, quarum sphaera nervosa variis de causis movetur, quae longa quiete in molli cubili levissima exercitatione corporis, spectaculis, saltationibus etc. utuntur, longe maturius menses nanciscuntur.

2) Menstr. tarda. a) M. t. cum tarda omnis organismi evolutione, cujus causa est tardior progressus excolendi corporis. b) Menstr. t., organismo jam dudum omnibus partibus perfecto. Causae sunt: inertia quaedam sexualis, deficiens motus, pariter ac deficiens plethora menstrualis, lentior ovariorum evolutio. Sicut coloris ea vis est, ut maturius menstruationem provocet, ita est frigoris contraria, scilicet ut serius illam locum habere sinat. In terris sub aëquilone sitis feminae serius afficiuntur mensibus; item ruricularum puellae, quae duris sub divo la-

horibus exercitatae corporis ac musculorum firmitatem neglectâ systematis nervorum curâ consequuntur.

§. 7.

Menstr. irregularis. Menstr. in statu normali a lege physiologica pendet, quam vulgo dicunt periodicitatis legem. In quartam quamque septimanam incidit menstr. quae igitur typum sequitur menstrualem. Hujus vero hominum in organismo maximas omnino esse partes haud ignoramus. In memoriam revocare sufficiat experimenta Sanctorii Jatromathematici, qui circumactis singulis mensibus corporis sui pondus semel diminutum, semel auctum fuisse observavit; praeterea recordemur fluxus haemorrhoidales, certa quadam lege ac recursu quarta quaque septimana recurrentes etc. Negari non potest, intra mensam integrum ab una menstruatione ad alteram quasdam fieri mutationes, cum quibus physiologica haec functio conjuncta est, evolutionem maxime dico sanguinis, formationem plethorae menstr., quae paulo ante effectam menstr. ad summum evehitur fastigium, post relabitur. Nec non quae fiunt in ovariis, maturatio ovi ex eodem typo pendet; utraque igitur functio altera non sine altera esse potest. Jam vero illa menstruationis norma s. lex morbis turbari tollique potest. Sunt plerumque morbi, quorum vis acerrima ac celerrima est in totam vitalitatem, cujus partis vitae quum omnes nisus ad succum matris quasi partes agentem, h. e. sanguinem, referantur, inprimis morbi sanguinis sunt acuti, quae hujus functionis leges conturbent.

§. 8.

Cessatio mensium. Haec quoque multis morbosisque mutationibus affici potest; quum aut maturius aut serius

menses cessare possint. Cess. mens. quamquam vim genitalem evanuisse ostendit, non tamen ubique plethora menstrualis cum illa abit, qua ex re satis magnus nascitur morborum numerus, quos velut deperditae functionis menstr. aberrationes existimare possis. Quorum morborum cura magnae est prudentiae et diligentiae. Omnia medico sunt vitanda, quae congestionem ad organa pelvis efficere possint; aptis potius remediis et locales impugnet affectiones, statum maxime plethoricum, et caveat ne revertantur. Annos in quos cessatio mensium incidit, vulgo climactericos vocant.

CAP. III.

De diversis, quae de fine menstruationis circumferuntur, sentiis.

§. 1.

Hippocrates sanguinem menstrualemente foetui demonstratum esse censet dicitque: sicut sanguis excitatione periodica defluat, ita eundem, mulier quum conceperit, non magna vi, in cavum uteri influere; nam qui in eo est foetus, materias semper attrahit, quibus alitur.

§. 2.

Aristoteli sanguis menstr. materia est rudis indigestaque, ex qua foetus oritur; menstruationis, si hunc auctorem sequamur; is est finis, ut vi viri procreatrici materia offeratur rudis, ex qua progignit. Sanguis menstr. summo opere necessarius est ad procreandum; huic de-

mum conjunctum semen virile novum animal procreare potest.

§. 3.

Galenus Hippocratis sententiam amplectitur. Super-
vacuum sanguinem, qui quum mulier gravida non est
effunditur, in statu graviditatis per venas uteri ad foc-
tum accedere ait, qua ratione ille alatur. Quae quidem
sententia duobus millibus annorum permansit, immutatis
nunc pluribus nunc paucioribus.

§. 4.

Pneumatici Aristotelis sententiae favebant, in sanguine
menstr. semen embryonis futuri contentum esse arbitran-
tes. Semini vim vivacem inesse volunt. Qui ejus disci-
plinae conditor est Aretaeus, ovaria inutilia censet ac non-
nisi symmetriae causâ exstantia.

§. 5.

Avicenna Arabs sanguinem menstr. tribus constare
partibus opinabatur; quarum unam noxiam esse et im-
puram colligi autem in graviditate paulatim in cellulis
uteri, vias inter pariendum lubricas reddere, et flu-
xum lochialem abigi; alteram partem omnino bonam esse
alendoque foetui inservire; tertiam vero post certa dum-
taxat tempora utilem esse, et confecto partu lac prae-
bere. Averroes, Aristoteleae disciplinae studiosus, duas
dumtaxat partes sanguini menstruali inesse putat, bonam
et malam. Materiam ex qua conformetur embryo, in
sanguine menstr. positam esse ait, formam semine virili
constitui.

§. 6.

Mondinius, academiae Bononiensis professor, qui
primus anno 1315 duo cadavera dissecavit, ovaria mu-

lierum testiculos esse censet, uterum septem cellulas habere, in quibus ut semen cum sanguine menstr. coaguletur efficiatur. Joesius et Duretus, egregii illorum temporum doctores, sanguinem menstr. omnino puram esse existimant, ut reliquum sang. in statu graviditatis alendo foetui utilem cum esse; quum non sit gravida mulier, tamquam inutilem secerni.

§. 7.

Paracelsus, Realdus Columbus aliique sanguinem menstr. minime alendo foetui esse sibi persuasum habebant. Parac. embryonem lacte nutritum facit, quod itineribus ignotis ad uterum perducatur; sanguis menstr. ei plane venenatus videtur. Columbus sanguinem menstr. omnino supervacuum ait; eodem auctore is solus est menstruationis finis, ut et sanguis noxiis quas continet materiis liberetur, et mulier coitum idonea reddatur.

§. 8.

Chemiatrici quos vocant seculi XVII., van Helmont Franc. Silvius, Ettmüllerus, alii, fermenta quasi quaedam statuebant ut corporis functiones explicarent. Non sanguinis fluxui multum tribuendum esse contendebant, sed fermentationi, qua ille gigneretur. Jam hoc fermentum et in utero et per cunctos corporis succos distributum esse fingeant. Ettmüllerum si audiamus, fermentatione fluxus, fluxu mollities uteri efficitur, quo facto uterus aptus redditur ad semen virile in parenchymate recipiendum. Idem vir doctus foetum menstruali sanguine ali negat. Contra Tissotus sanguinem menstr. alendo foetui esse haud abnuens arterialem illum sang. esse censet atque optimam putat de fermentatione sententiam, qua quidem semen muliebne effervescat.

§. 9.

Freindius, Stahlius, Fried. Hoffmannus, Boerhavius, Alb. Hallerus, Caldanus, Astrucius, alii antiquam Hippocratis opinionem amplexi menstruationis causam censebant esse plethoram organismo muliebri propriam. Stahlius: „Ex frequentissimis, inquit, morbis est plethora, ad quam homo admodum proclivis est, propterea quod plus edit bibique quam opus est, ac quod, ut partes corporis succrescant, longiore opus est tempore quam ut sanguis conficiatur. Sanguinis profusiones plerumque originem ducunt e motibus tonicis naturâ concitatis diminuentes plethorae causâ; id quod optime intelligitur menstrualium mulierum lustratione.“ Hoffmanno auctore feminis ob tardiores sanguinis circulum ac minorem perspirationem plus quam indigent sanguinis inest; quaere in venis existit stasis s. stagnatio, et per corpus spasmi; jam vero ob singularem uteri structuram eo dirigitur sanguis, quum ab aliis vasis, spasmorum ope coartatis recipi nequeat. Astrucius, doctrinam suam de plethora uteri secutus, crebra vasa fingit lac ducentia, vermium in modum constructa, quae in tela mucosa uteri per vasorum sanguinis parietes discurrere et in annis pubertatis fluidum quoddam lactis simile secernere dicuntur. Cujus pars crassior congeritur — ea enim est illius viri opinio — ac vasa lymphatica adeo extendit ut venas proxime sitas comprimant, ex iisque sanguinem in appendices venosas compellant, quibus postremo effunditur. Mutua compressio permanet dum vasa vacuefacta sint. Caldanus plethoram uteri structurâ corporis feminei explicare studet. Metzgero menstruatio nihil aliud videtur quam periodica in utero plethora, cujus causa laxior molliorque est feminae structura.

§. 10.

Arbitratus est Burdachius, feminam nubilem, quum vis ejus formatrix nec graviditate nec lactando ad propagandum genus humanum spectaret, vi vitali periodice audacta in ejus genitalibus, quarta quaque septimana secretionem habere sui propriam, aliàs alendo foetui inservientem. Sanguinem copiosiore quam pro singularum usu effundi, eoque ipso particulis carbonicis — liberari, quibus feminae propter minorem respirationem minifice abundant. Autenriethius menstruatione complures materias contineri educique putat carboneum, hydrogenium, azoticum, — quae in viro pulmonibus educuntur; in femina autem hac ratione naturam illis quas modo diximus materiis liberari studere. Osiandro menstruatio lunae ope ac vi oriri videtur, ita ut fluxus ille menstrualis in novilunio pendeat, quo quidem tempore plures feminae mensibus afficiantur quam alia ullo; inprimis juniores feminas novilunii, seniores plenilunii tempore mensibus obnoxias esse.

§. 11.

Tiedemannus, Meckelius, Carus alique nostrorum temporum physiologi menstruationem cum sanguinis profusione bestiarum aestu venereo correptarum comparant; fluxum illum menstr. omnino vitae formatricis effectum, et majorem virium manifestationem certis temporibus recurrentem, vitalemque genitalium tensionem habendam esse. Praeterea menstruationem aestus venerei genus esse; apud femellas enim complurium mammalium tum quum coitum appetant, similem sanguinis e genitalibus fluxum reperiri, e. gr. apud canes, simias, hyaenas, antilopas etc. Cuvierius bovem buffelum femellum singulis men-

sibus huic sanguinis fluxui obnoxium vidisse sibi videtur. Joergius menstruationem vanam esse procreandi effigiem, irritam graviditatem lactationemque existimat. Sicut vir perpetuo excreto semine procreet, ita feminam quoque, viri vi non subactam, pro se ipsam creare conari, ac suis fisam viribus propagandi studere, sed peragere quum non per se ipsa potis sit, conatus ille irritus cadit.

§. 12.

Ritgenius menstruationi altiore quendam finem subesse censet quam plerique nostrae aetatis physiologi. Quippe provectionem eam generandi in femina cupidinem statumque congestionalem uteri, amplificata sanguinis confectione productum existimat, qui uterus quum infirmissima sit genitalium pars, invadenti congestionem nervosae resistere nequit. Altior vero menstruationis finem esse vult, ut minime impedito exitu vis nervosae ad uterum contententis, irritatio sexualis in genitalibus aut omnino nulla aut certe levis efficiatur, potius in sanis quidem puellis, pubertatis in omnibus partibus cum sibi consciae sint, velut universus quidam sensus, ignoti cujusdam desiderium, qui ipse est amor, appareat; qua re ipsa morum integritatem humanamque dignitatem, ac maxime virginis innocentiam optime conservari arbitratur.

§. 13.

Edidit Schwarzhieldius fragmentum majoris operis de fine menstruationis. Illustratis diversis tam veterum quam recentiorum physiologorum ea de re sententiis ipse hujusce modi sententiam profert, menstruatione feminam qua hominem exhiberi. »Summum ait cunctarum partium consensum, quem vulgo dicunt harmoniam, pubertate demum contineri, qua tandem in unum quasi corpus coeundi studium

haud longe abiit, ut ad finem perducatur. In femina autem cum reproductio longe praedominetur, circa tempus pubertatis operam dari ut ea quae vitam conforment systemata aequentur. Qui conatus aequandarum in femina functionum quominus plane speratum eventum habeat, singulari ejus propriaque constitutione prohiberi, quo fieri, ut reproductiois sphaera ceteris semper praestet. Hoc vanum irritumque aequaliter excolendarum vitae functionum studium rei ferata fluxus sanguinis menstrualis, qui feminae sit propria, specie prodi. Itaque menstruationis vim tentamen quasi quoddam naturae esse feminam in editum quendum locum tollendi, quem attingere ac tenere ob singularem ejus constitutionem ei non detur; crisis certaminis certis temporibus recurrentis, organismi iterati, ad imminuendam reproductivitatē plus justo auctam spectantis; leges enim muliebris quam vocant individualitatis majoribus submitti debent.“

§. 14.

Circumspectavit Hoffmannus analogon quoddam menstruationis in animalibus inferioris ordinis, atque invenit. Menstr., inquit, feminae idem fere est ac quum plumas mutant aves, canibus equisque pili excidunt, serpentes cutibus exuantur, cornua cervi amittunt, cancri exuvias ponunt etc. Ad designanda omnia quae inferiorum animalium vita menstruationi similia habet, omnino nomine „mutatione“, quam nostrates dicunt *Mauser*, utitur. Demonstrata similitudine conditionis psychicae et somaticae, quae est inter animalia mutationi illi obnoxia ac feminam menstruantem, in aliis in hunc modum disserit:

„Proxima mutationis illius causa in eo sita videtur, quod novum aliquod producat, non quod perdita vel

inveterata redintegrentur. Sic mutatione plumarum, cornuum etc. renovatio quaedam totius animalis effecta est, quod quasi se ipsum reproduxit. Huic novae productioni autem animalis perfecti sanguis non bene convenit, qui potius alendis iis quae jam exculta sunt adhibetur. Succus igitur aliquis existat necesse est, ei similis, ex quo ovum constat. Qui quidem succus ex parte materiae foetalis conficitur, in systemate praesertim venae portae. Ea materia — in nonnullis animalibus diu ante mutationem confectam in aliquo organo collocatur. Animal in propagatione aliud, catulum dico, producit, in mutatione se ipsum de novo. Per eos annos qui florem aetatis constituunt, animal perpetuo gignat necesse est. In propagatione productio extrorsum vertitur, quem in mutatione introrsum in ipsum animal vertatur. Intra unum annum animal quodvis semel sibi ipsi, semel item generi suo procreans reperitur. Sic mutationem et genus alterum contra alterum posita videris, tanquam productionem et reproductionem. Eodem modo menstruatio tanquam feminae mutatio et regeneratio disertissime opponitur generationi. Repetitur mutatione omne excolendi animalis opus a prima inde conceptione usque pubertatem. Menstruatio id solum spectat ut corpus renovetur. Manet quidam integer priscus organismus sed penitus penitusque, vel minimis particulis quasi repuerascit; materia foetalis in sanguine formata singulis atomis additur, novi praeterea formantur, sicque homo corpore renovato, vita redintegrata prodit. Sanguinis menstrualis secretio non caput rei est, sed quasi symbolum, totum hominem per omnes partes renovatum esse. Eadem vis est excreti sanguinis ac recentium formarum in mutatione prodeuntium. Aliter regeneratio plantae se ha-

bet, aliter animalis, aliter hominis. In plantis regeneratio superat, organa genitalia varia sunt atque mutabilia. In animalibus productio nihil commune habet cum reproductione; genital constans est, ac nonnisi, aequae ac reliqua organa, mutatione intus renovatur. Apud hominem regeneratio generatione continetur. Uterus hominis non solum genital est sicut mammalium, sed et organum regenerationi singulorum inserviens. Est et inter graviditatem menstruatio, modo texta sive latens, cum abest graviditas, aperta illa rursus prodit. In quod tempus effusio sanguinis incidit, non ea est integra res, — sed potius ultimum velut stadium. Id quod menstruatione efficitur, materia est regenerationi organismi materni inservitura.“

§. 15.

Quas supra commemoravimus de fine menstruationis opiniones, fere omnes ab una parte laborant Medicorum graecorum sententiae illis temporibus ex i. t. aestimandae sunt, in quibus quum nemo de anatomia corporis humani cogitaret, inspectis tantummodo animalibus conjecturae ad hominem pertinentes capiendae erant. Chemiatrici fermenta quidem quaedam reperisse sibi videbantur, quae nunquam demonstrare poterant. Nec magis menstruatio sola sanguinis abundantia explicatur; nam si plethora sola esset menstruationis causa, venae sectio eam omnino reprimeret, aut in feminis minus sanguinis habentibus menstruatio cessaret, quarum rerum neutram esse videmus. Perperam id quoque physiologi fecerunt, qui menstruationem cum respiratione contulerunt; quorsum enim feminae gravidae atque lactanti superfluae carbonei, hydrogenii et azotici materiae evadunt? Ei vero sententiae, magnam esse lunae vim in menstruationem, parum favet, quod nonnulla

fere per annum hora est, quin feminae mensibus obnoxiae reperiantur. Nec verior est eorum opinio, qui menstruationem idem esse censent atque aestum venereum animalium; quae duae res potius altera alteri directo opponuntur. Illo tempore quo animalia aestu illo fervent, hoc coeundi studium mirum quantum obtinet, imo nisi hoc ipso tempore non est. At in menstruatione hic impetus oppressus jacet, ac laborantem feminam coitum fugere videre. Longe rectius igitur cum animalium aestu venereo conditionem feminae post ipsam menstruationem contuleris. His quoque qui censent, menstruationem non nisi debilem generationem esse, satis feminae rationes objici possunt. Sensus communis in menstr. depressus in graviditate elatus est. Illa durante proclivitas ad morbos summa est, quum in hac non solum novi morbi non exsistant, sed qui adsunt, recedant. Menstr. si generatio debilis esset, receptibilitas et coeundi appetitus in aliquod saltem tempus sublata esset, ac profecto aliud organum nullum, vitiis laborante utero, vicarii munere fungens menstruationis officium gereret. Meo quidem iudicio optima Hoffmanni est sententia, fragmento supra allato ex ejus pathologia ideali comparativa contenta. Qui vir doctissimus diligenter in leges vitae inquisivit, atque haud multum a vero aberraverit.

CAP. IV.

De vi, quam menstr. exercet in morbos.

Variae sunt ea in re menstruationis partes: modo salutiferam crisin affert, modo pessimae prognosi locum dat. Haec fere observemus:

1) Morbus aliquis quum ante menstruationem incipit, ob plethoram maxime menstrualem acriter inflammatoria ejus est indoles. Non raro etiam accidit ut propinqua hac congestione periodica morbus ad organa sexualia trahatur; quo facto aut effusione sanguinis menstr. nihilominus peracta ad crisin ducitur, aut in chronicum malum degenerat. Initio morbi si menstruatio non deest, laetantur ea re medici in morbis acutis, quia tunc sanguinem cum salute et deductum, et continuo sedatum iri sperant. Contra laevi ominis ducunt, menstruatio expectata initio februm etc. si cessat. Documento est, quum functiones organicas jam valde afflictas esse, tum reliquum malum sive locale sive generale jam vehementer ingravuisse.

2) Morbus si duabus menstruationibus intercurrit, nihil fere mutatur; sed si menstr. secunda tunc est quum morbus ad summum pervenerit, praesertim in morbis sanguinis, plerumque is morbus male ea re habetur.

3) Menstruatio si versus finem graviorum morborum normalis prodit, bonum faustumque id habent. Quippe intelligunt, organismi solitum legibusque consentaneum cursum aut jam rediisse aut mox rediturum.

4) Menstr. morbis aut plane oppressa aut certis solitisque temporibus summo, gravem semper metum injicit. Manifestum est enim, latius jam patere morbi vim, cum tantae graviditatis functionem, ut est menstruatio, opprimere aut certe normali cursu abripere potuerit. In corpore sano sola est graviditas quae menstruationem tamdiu retineat quam foetus justam maturitatem ac perfectionem sit adeptus. Sed hic quoque proverbium obinet: Nulla regula sine exceptione. Partus in decimae

fere menstruationis tempus incidit. Dubitari non potest, quin plethora, quae sanguinis menstrualis effusione crisin nancisci solet, tunc alendo foetu consumatur. Talem autem plethoram revera adesse, documento est crusta phlogistica, in gravidarum sanguine reperiri solita. Ingens corpusculorum sanguinis copia esse videtur, quae inter se cohaerentia et in sanguine emisso celeriter suo ipso pondere ad imum delata efficiunt, ut fibrina specie floccosi quasi strati in summo loco nalet. Gravidas per multis morbis minus quam alias mulieres affici constat, quam rem multi teleologice explicandam putaverunt; cujus tamen causa potius in singulari gravidarum conditione statuque posita videtur. Pars vitae vitalis maternae id conformando foetu consumpta est; magna materni sanguinis pars foetui est propria. Quamobrem fracturas ossium, inter graviditatem exortas, nonnisi partu edito sanatus fuisse notum est. In pariendo semper sanguinis est profusio, quae plethorae gravidarum crisis existimanda est, quippe qua sanguini potestas detur exonerandae corpusculorum sanguinio etc. abundantiae. Etiam inter lactandum menstr. abesse consuevit, cujus rei causae sunt primum quod glandulae lactiferae antagonistiae in uterum se habent, deinde quod secretio lactis satis magnam alimentorum vim sibi vindicat, eoque ipso quominus plethora fiat prohibet.

LITERATUR.

- Aristoteles*, opera omnia exudebat C. Laemarius 1597.
- Hippocrates* sämmtl. Werke, übersetzt v. Gruner. 1780.
- Celsus*, de medicina. Basiliae 1748.
- Claudius Galenus*, opera omnia. Basiliae 1662.
- Joh. Fernelius*, medicina universa. Genf 1679.
- Realdus Columb.*, anatomia corporis humani.
- Hieronymi Fabricii ab aqua pendente tractatus de formatione foetus.* 1624.
- Hieronymi Mercurialis* de puerorum morbis. Frankf. 1583.
- J. D. Sartorius*, de catameniiis. Lugduni 1710.
- Baile*, opera omnia. Toulouse 1701.
- Wilhelm Harwey*, exercitationes de generatione animalium. London 1651.
- Boerhave*, aphorism. de cognoscendis et curandis morbis. Leyden 1709.
- Freind*, opera omnia. 1735.
- Astruc*. tractatus de morbis mulierum. 1763.
- Friedrich Hoffmann*, medicinae rationalis systematicae. Magdeburg. 1739.
- Alberti Halleri* disputationes ad morborum historiam et curationem facientes. Lausanne 1758.
- E. v. Siebold*, Handbuch d. Frauenzimmerkrankheiten. Frankf. 1820.
- Carus*, Lehrbuch der Gynaecologie. Wien 1832.
- Förg*, die Zeugung d. Menschen u. Thiere. Leipzig 1811.
- Zimmermann*, über die Verbreitung u. Ausartung des Menschengeschlechts.

A. Henke, über die Entwicklungsfrankheiten des menschlichen Organism.
 F. Otfander, über die Entwicklungsfrankheiten d. weiblichen Geschlechts. 1817—1818.

Blumenbach, institutiones physiologicae. Götting. 1787.

Calbani, Phhyfiologie d. menschl. Körpers. Prag 1784.

J. Autenrieth, Handbuch d. empirischen Phhyfiologie. Tübing. 1802.

C. A. Rudolphi, Lehrb. d. Phhyfiologie d. Menschen. Berl. 1823.

J. Müller, Handb. d. Phhyfiologie d. Menschen.

Fl. Magendie, Lehrb. d. Phhyfiologie, aus d. Französischen übersezt v. Doctor Hoffmann.

Eble, Taschenbuch d. Phhyfiologie. 1829.

C. R. Hoffmann, vergleichende Idealpathologie. Stuttg. 1834.

1c. 1c.

THESES DEFENDENDAE.

1. Falso putant febrem intermittentem lienitidis esse symptoma.
 2. Morbus syphilidis inunctione curandus non est.
 3. Varicoccele tutissime sanatur compressione.
 4. Punctioni urinariae supra symphysin ossium pubis praeferenda est ea quae fit per rectum.
 5. In neuralgiis nervos secare inutilis res est.
 6. Versio in caput rejicienda est.
 7. Ne ullum quidem certum graviditatis per quatuor primos menses signum exstat.
-

